)(I.)(

PETRI BARZANI

ITER AUTUMNALE ANNI 1753.

NAPOLI

COnjuncti plures, quos conſociaverat idem,
Infeſtis latrone viis, pavor, agmine facto,
Hanc, quam Mella rigat, labente reliquimus urbem
Auguſto, ventumque illam, quam perluit amne
Lætus amœno Atheſis. Non curſu perpete factum
Attamen iſtud iter. Tanta intervalla vorando
Unâ eâdemque die, ceſſiſſent ilia perpol
Quadrupedum, nobiſque ſimul pars corporis ima
In miſerum detrita modum inſidentibus eſſet.
Recte, ac prudenter diviſimus ergo; morantes
In florente pago (undarum, Benace, tuarum
Efficit hunc magnum emporium vicinia) noctem.
Quam tamen inſomnem ferme traduximus. Illo
Veſpere cauponi fuerat clam filia nuptum
Ædibus abducta. Hinc luctus ſine fine, domumque
Totam implens clamor. Sibi commoda tempora, nactus
Adventûs noſtri ſtrepitum, exortaſque tenebras,
Furtim ingreſſus erat, furtimque egreſſus amator;
Haud tamen ignarâ facti, invitâve puella.
Mane hinc diſceſſum eſt ante ortum ſolis. Euntes
Recreat inde lacûs facies, hinc uberis agri:
Aſpicimus nidum puri impurique Catulli:
Denique Veronam, poſtquam Piſcaria paulum
Eſt remorata, gradu aſſequimur plerumque citato.

Digitized by Google

Hic, veniam ipſe petens, ſociis avellor, eoque
Rite ſalutatum, dignum omni laude, viceſque
Præſulis egregii egregie, ſanctèque gerentem,
Albertinum; ipſi multis obſtrictus ab annis.
Fecit (cuncta breves verbum redigemus ad unum)
Ex multum obſtricto ſibi me obſtrictiſſimum. Eodem
Auſpice, eodem omnes adituſque viaſque parante,
Quicquid habet rari ac pulcri peramœna, vetuſque
Nobilis urbs, ducor ſpectatum. Perculit inter
Cetera, quod longi, quod, cuncta vorantis, ab ævi
Morſibus evaſit, majori ex parte ſuperſtes,
Orbe cluens toto famâ, ingens Amphitheatrum.
Percurri hoc circa, percurri infraque, ſupraque:
En aditus, cuneique: gradus en: queis pater eſſet,
Hic, pullata illic tu quondam at turba ſedebas.
Talia gaudebam mihimet monſtrare. Neceſſum
At fuit optato citius diſcedere, vulgi
Fabula ni vellem fieri, digitoque notari;
Tunc forte in mediâ præbere parabat arenâ
Hiſtrio poſcenti ſpectacula nota popello:
Turpe autem, ac merito, Veronæ ducitur, aris
Addictos homines, homines ad ſacra vocatos,
Comœdis, noctu fiatve interdiu, adeſſe.
Exin haud modice lapidum me perculit illa
Longa inſcriptorum ſeries, Maffejus ab oris
Quos conquiſivit variis, digeſſit & apte.
Hunc & adire virum, famâ ſuper æthera notum,
Hunc generoſum equitem, Italiæ lumenque decuſque,
Noſcere mî placuit coram, atque audire loquentem.
Acceſſi. Humane prandere coegit apud ſe:
Hinc quædam interea ex illis, pars maxima quorum
eſt Ipſe,

Ipſe, attingendi perbelle occaſio facta.
Quid dicam? Ingenue, quæ vera fatenda, fatebor.
Anceps, men doctrina ingens, men lingua diſerta
Ceperit ipſius magis, ac mel dulce fluens, an,
Rara his temporibus res in certante, modeſtus,
Se citraque tenens convicia putida, ſermo.
Maffei eloquio fruitum, dehinc mænibus illis
Egreſſum, accepit, tectis ornata decoris,
Vinorum frugumque parens Vicentia felix.
Hæc, præſtantem illum proavorum ætate magiſtrum,
Artificem omnigenas ſtruere atque attollere moles,
Palladium genuit. Servat præclara genetrix,
Virtutis nati monumentum ac pignus amoris,
Fornicem; eos formâ reddentem, queis dabat olim,
Ævo patrum, aliquis nomen cauſamque triumphus.
Templum eadem Mariæ vicino in monte ſacravit,
Cultûs præcipui. Ut ducat via nobilis illuc,
Defendens ſolis pluviæque incommoda, privis
Impenſis certant cultores Virginis almæ.
Parva tamen parvam nobis obeuntibus urbem
Hanc mora ſuffecit. Secus, ad quam poſtmodo vecti;
Sparſa magis ſiquidem, ac longe ſpatioſior: ipſam
Condidit Antenor paulo poſt Troica bella.
Attigimus paucis, rapide dum currimus, horis.
Ni Bovis (appellant) vetus, immortale, Lyceum,
Ut ſolet autumno, clauſum taciturnque fuiſſet,
Ilicet intraſſem; quæque illic aurea ſummi
Dant reſponſa viri, cupidâ adſtans aure bibiſſem.
Verum, tunc ut erat, quorſum intra inviſere? vana
Pulpita monſtraſſet demum, & ſubſellia nuda.
Ad ſancta, hoc ergo tranſgreſſi, optata volamus

Limina, quæ Antoni corpus venerabile ſervant:
Dá, quod habemus, iter nobis evadere felix,
Corpore da ſanam in ſano mentem eſſe. Precati
Hæc, contemplamur dein templum. Dives, & amplum eſt,
Concurſuque frequens venientum ex omnibus oris
Turmatim fuſumque preces, ac vota ſolutum.
Pulcri diſtinguunt operis ſpectanda ſacella;
Unum at præcipue, ſacras quod celat in arâ
Exuvias ſubter, quas dixi: hoc terque quaterque eſt
Grande, locuples. Ubi triginta ſexque, diei
Ac noctis ſpatium, quam longum eſt, jugiter ardent,
Pendentes circum, pretioſæ lampades. Albo
Geſta itidem Antoni proſtant in marmore ibidem.
Haud multum hinc diſtat, teres undique & undique ſeptus,
Simplicium (vulgo vocitant) pernobilis hortus.
Ingreſſis, lentoque gradu ſpatiantibus, iſto
Accidit in viridi mora ſat jucunda theatro;
Namque peregrinis ibi lumina pavimus herbis,
Plantiſque; infeſtos aptis depellere morbos:
Ipſarum interea nomen, patriamque docente,
Atque poteſtatem interdum, cuſtode vireti.
Inde ad Juſtinæ ſedes divertimus; omni,
Quocumque intendas oculos, immania clauſtra
Cœnobii ſpectes, aut fanum, parte ſuperbas.
Hic magni pretii ſum plura volumina nactus,
Appoſitumque habilem Præfectum Bibliothecæ.
Hunc audire fuit, fuit hunc cognoſcere melli.
Hunc ego, tunc ſummis abſentibus urbe magiſtris,
Unum inſtar cunctorum habui. Grajâ ipſe Minervâ

Per-

Permultum, Latiâque madens. Aliquantulum aceto
Gaudet. In egregio deprendi hunc corpore nævum.
Reſtabant nobis, ex quotquot viſere deinceps
Propoſitum fuerat, duo jam loca; Curia nempe,
Prætoriſque domus: quas ut (viſu utraque digna
Pol, ſi quicquam aliud) ſuſpeximus, ære ſoluto,
Quod debebatur, cauponi, mane ſequenti
Extra urbem Patavi tulimus veſtigia. Te nunc,
Te nunc, Imperii Veneti clariſſima ſedes, te,
Itali ocelle ſoli, Europæ miraculum, adimus.
Medoacum ingreſſi, lentâ vectante carinâ,
Provehimur ſenſim. Minuit faſtidia longæ
Attamen illa viæ, ſparſarum flumina propter,
Dulcis villarum aſpectus. Verbana ſubibant,
Has dum ſpectabam, Tempe ac viridaria mentem,
Queis frui abhinc uno peregre mihi contigit anno.
Te, domina urbs, inquam, petimus. Natat, anne reſiſtit
Immota? eſtne hominum, an potius labor illa Deorum?
Ajebam, aſpectans longe. Tandemque tenemus.
Viſere primus amor, Divi quod nomine Marci
Appellant, illuſtre Forum. Dii, quale theatrum!
Panditur, inque duas (minor una, eſt altera major)
Dividit ingentis ſpatii ſeſe area. Utramque
Magnificæ decorant, regales, undique moles.
Vicinas late accedit proſpectus in undas,
Innumeræque rates, illas proſcindere præſto.
Haud locus, haud alibi facies ſpecioſior urbis.
Aſſidue populo calet: incola, & advena mixtim
Perpetuo fluxu veniunt, abeuntque frequentes.

Mira-

Miramur, fruimur, propiuſque introque ſtupere
Altas, quas dixi, moles dehinc pergimus. Aulâ
In magnâ tunc forte Patres, de more coacti,
Concilium auguſtum, ſapiens, ſummeque verendum,
Jura dabant. Inibi, quando eſt data copia, paulum,
Viſu perculſi tanto, ſubſiſtimus. Exin
Proſequimur. Verbo at præſtat muſa innuat uno
Rem, muſa ingenii exigui, quam, viribus audens
Majora, & longum faciens, hinc deterat. Illas
Quâ tu cumque igitur percurras parte, columnas
Marmore de ſolido, ſimulacra, toreumata, cruſtas,
Gazam, aurum, argentum, picturas, extima demum,
Cuncta ut complectar brevis, interiorave ſpectes,
Divitis Imperii ſumma & veneranda, tuentum
Perſtringens oculos, majeſtas undique lucet.
Vidimus (hoc obiter memorabo) ibi vidimus illos
Quatuor ex ære, inſignes, auroque ſuperbos,
Quadrupedes, queis læta olim, poſt Parthica bella,
Roma triumphanti fertur plauſiſſe Neroni.
Scitum opus, egregium. Me plus vice ſimplici eoſdem
Viſere, dum tenuit nos urbs illa inclyta, juvit.
Hinc duo mirati loca, ditia pulcraque valde
(Venales unum donarunt nomine merces,
Nomine at eximii pontis celeberrimus alter)
Decantatum adeo, ardemus Navale videre.
Spectatum admiſſi, celſo circumdata muro,
Vaſta pererramus clauſtra illa attoniti. Mars
Pandit ibi omnigenæ Venetus ſpectacula pompæ.
Quot cava, terrendis nata urbibus atque ruendis,
Apparent, viſu horrendum, tormenta! Supellex
Ornandis o quanta equitum, peditumque maniplis!
Inſtat

Inſtat navigiis (princeps ea cura) parandis
Ingens artificum manus. Anno hæc ſedula pergit
Toto, rite vices partita operumque laborem,
Ædificare nova, atque itidem ſarcire vetuſta.
Quot funes! quot vela! trabesquot, & arborum acervi!
Stat, capita alta ferens, alias ſupereminet omnes
Majeſtate rates, inſignis, regia puppis;
Auguſtum ſolita eſt Cœtum portare quotannis,
Annulo ubi Adriaca eſt Doris firmanda jugali.
Hanc demirati, Navale relinquimus; inter
Diſcedendum, illâ nihil hercle firmius urbe,
Tutius eſſe nihil, jurantes interea: cui,
Præter inacceſſa undarum, quibus undique ſepta eſt,
Mænia, ſint generis tormenta tot inſuper omnis,
Sint, ubi opus fuerit, tot propugnacula præſto.
Poſt. Miſer, ecquid agis? tibi pol, hoc ſi pede pergis,
Pagina ſcribenti pluſquam centeſima ſurgat,
Necdum finis. Ita eſt; perſtringam cetera paucis.
Poſt illic fuimus, regina ubi cuditur illa,
Quæ genus, & formam donat, cuique omnia parent.
Illic, gens habitabat ubi Judaica quondam
(Deduxit nomen locus hinc, Judæca vocatur)
Balbum ibi conveni, Græcas quem contigit olim
Literulas docuiſſe mihi, nunc ipſe, magiſter
Factus, eaſdem alios docet. Illic, nota ubi conflant,
Quæ tibi te reddunt, fida inſtrumenta camini.
Illic, inſanum cohibent ubi grandia pontum
Littora, ne fines tranſcendat. Veſper erat tunc,
Plenaque paulatim tremulis ſurgebat ab undis
Luna rubens. Oculis, quantum illa immenſa licebat
Metiri ſpatia, emenſus, motuque frementis

Per-

Perfruitus pauliſper aquæ, veſtigia rurſum
Ad lintrem urgebam, quæ nos dein redderet urbi.
Ecce autem in viridi menſa, improviſa, parata
Detinuit pavitque ſolo; bellaria nempe,
Cruſtula, poma, nuces, ficus, mellita placenta;
De, clam commiſſis nautæ, detracta caniſtris,
Subjectaſque ſuper mappas congeſta decenter:
Patricii munus juvenis, tibi, Theupole, amici;
Theupole, mî nullos, merita ob tua plura diebus
In me illis magna, haud oblivifcende per annos.
Nobiliora caput tollunt ubi denique templa,
Magnificæve domus, pretioſa ubicumque ſupellex
Lautior in forulis, illic curavimus eſſe.
Ingreſſus Venetas, Septembre ineunte, lacunas,
Exivi, labente. Tribus dein circiter ad vos
Solibus adveni rediens, mihi dulcia, Brenni
Mænia. Purpureum, ſacrumque, Antiſtiti amictum
Oſculor. Huic narro magni primordia templi,
Ejuſdem auſpicio, dominâ ſurgentis in urbe.
Balneolum inde peto, reliquum autumnale daturus
Tempus ibi ſomno, curâ ſemotus ab omni.
Fruſtra. Me, dulces animæ, Barutius, atque,
Deliciæ Aonidum primæ Phæbique, Capellus
Invadunt, coguntque meas, Octobre favente,
Menſe hilari vacuoque, vias deſcribere. Feci.
Exiit hinc præſens hæc, qualiſcumque, tabella.

BRIXIÆ, MDCCLIII.
Ex Typographia Jacobi Turlini.
SUPERIORUM PERMISSU.

VA1
1544551